

DECURIAE  
ANNORUM SECUNDÆ  
MISCELLANEORUM  
MEDICO-PHYSICORUM

*Sive*

EPHEMERIDUM  
GERMANICARUM  
ANNUS QUINTUS.

que limpidâ aquâ per continuum hoc triennium sitim explere  
hactenus cogitur; sed quo factum, ut cachexiâ inde forte con-  
tractâ ad hydropem proclivis jam videatur.

## OBSERVATIO CCXLV.

D. LUCÆ SCHRÖCKII, LUC. Fil.

De

## Gemino Rhinocerotis cornu.

**E**Ruditam de Rhinocerotis cornu disceptationem, præ-  
ter alios, in primis Celeberr. Thom. Bartholinus *Observ. de*  
*Unicorn. cap. 21.* & Excell. noster D. Joh. Conr. Peyerus *lib. 1.*  
*Merycolog. cap. 5.* instituerunt: utrùm nempe unicum  
vel geminum illud super nasum animalis istius existat? Et  
quamvis unicum id esse, qui contendunt, non tantùm ex an-  
tiquis, præter *Dionem, Plinium, Strabonem, Solinum*, haud  
spernendâ *Æliani* autoritate, sed in primis recentiori *Jacobi*  
*Bontii* fide nitantur, qui vel centies animal illud cavæ inclu-  
sum, ut & in sylvis vagans vidit; revera tamen Rhinocerotem  
dari, qui geminum in naso ostendat cornu, fidem facit *αὐτόπτης*  
*Pausanias* in *Bæotic.* scribens: *Vidi etiam Æthiopicos tauros, quos*  
*ex re ipsa Rhinocerotas nominant, quod illis è nare extrema cornu*  
*prominet; & paulò superius alterum, non sanè magnum: in capi-*  
*te nullum prorsus habent.* Simile geminum cornu etiam Augu-  
stæ Vindelicorum curiosis oculis lustrandum exhibet instru-  
ctissimum pharmacopolium *Dn. Joh. Georg. Michellii*; quorum  
majus trium circiter spithamarum longitudine spectabile, non-  
nihil versus frontem & qua cornu minus spectat, intortum at-  
que mucronem acutum abiens, ex notiori illo, quæ passim  
conspiciuntur, cornuum genere est; cui mediante cutis crassæ  
admodum particulâ, unciali circiter distantiâ, connectitur al-  
terum, crassitie quidem in basi, priori illi æquale, longitudine  
verò duos saltem palmos vel spithamam circiter accedens, ex-  
tremitate itidem in mucronem acutum, latiore tamen non-  
nihil

nihil desinens, cæterùm rectum & ejusdem cum altero coloris, gilvi nimirum, nec non substantiæ, corneæ videlicet & durissimæ in superficie, (quæ in pocula &c. artificum manu effingi solent,) interiùs autem spongiosæ & porosæ (non secus ac cervinum quoque cornu poros, ampliores quidem, vel laxiorem medullam possidet,) externâ autem formâ scabrum & impolitum. Ut ita certum aliquod Rhinocerotis genus bicorne in locis quibusdam dari, ac ita *Martialis* de Rhinocero versum, tot aliàs Interpretum ingenia torquentem, *lib. 1. epigram. 22.*

*Namq; gravem gemino cornu sic extulit ursum,*  
emendatione haud egere, neque pro *urso* urum, gemino cornu præditum, esse legendum, concludam. Utrùm verò tale cornu monstrorum ordini sit inferendum, meritò dubitò; quale tamen fuisse, arbitror, quod in Technicotheca Florentina vidit *Bartholinus*, uti *l. c.* refert, exiguum videlicet, sed duabus eminentiis velut tumulis distinctum. Cæterùm illa corii adhærens particula, & cornuum radices ferrâ, si oculorum conjecturâ niti liceat, à duriori reliquo corpore avulsæ, in utroque cornu firmiorem connexionem cum ossibus capitis innuunt, quàm ut, quòd nonnullis placuit, pro lubitu animalis illud moveri queat; quin & cornea natura extensionem & flaccenscentiam, ab *Ol. Wormio in Thom. Bartholini cent. 1. epist. med. 90.* negatam, in utroque cornu haud admittit. Prout verò majus illud alexipharmacis viribus pollere, plures memorant: ita & de minori easdem esse expectandas, similis omnino ejus substantia credibile facit.

## OBSERVATIO CCXLVI.

D. LUCÆ SCHRÖCKII, LUC. Fil.

Anatome amaurosi laborantis.

**N**uper A. 1686. d. 19. Novembr. Virgo 26. annorum, E. D. phlegmaticæ, uti vocant, complexionis, cæterùm integrâ sanitate gaudens, cùm arboreorum cor-